

utimur. Vide tamen *Lanrum de Palatiis in tv. de succ. ab intest.*
in pr. qui quinque istiusmodi jura numerat; ac insufficientiam
prioris triplicis Juris, lege *apud Jason. loc. alleg.*

XXVI.

Hiscce jam præmissis DESCENDENTIUM successionem
proximè visuri sumus, non quidem ex antiquo Jure; illud
enim seponemus: sed ex novo, quod tantummodo produ-
cemus. Interim Historiam veterem in success. descend. in-
veniet Lector *apud Forster. lib. 4. success. c. 12.* quò eum remit-
timus.

De success.
descendens.

XXVII.

Multiplex autem & varia descendentium sit successio ne-
cesse est, cum ipsi descendent. non unius generis esse depre-
hendantur. Inveniuntur enim plures eorum species. I. Qui-
dam *spirituales* sunt, puta quos ex sacro baptismatis fonte le-
vavimus. II. Aliqui *ex prorsus damnato*, puta ex meretricio,
ut spurii, vel ex incestuoso coitu nati sunt, ut in *l. fin. ff. de R.*
N. III. Quidam *Naturales tantum*, id est, ex concubina
nati. IV. Quidam *Naturales & legitimi simul*. V. Quidam
Legitimi tantum. VI. Aliqui demum *Legitimi tantum* sive lege filii
sunt. Ita *Specul. de succ. ab intest. nu. 15.* Vide *Nicol. de Ubald.*
de succ. part. 1. n. 6. & seqq. usq. ad 13. qui VII. species ponit.
Matth. Matthesyll. qui quatuor. Aliter adhuc *Forster.* eos di-
vidit *lib. 4. succ. c. 4. & 5.* Item *in pr. lib. VI.* ubi in tabella dis-
crimen eorum depinxit.

Species de-
scendent.

XXVIII.

Ex hisce jam ordinibus, spiritualium hoc in loco curam
nullam geremus, cum certum sit eos, quã tales, non succedere,
quod & Saxon. Jura comprobant. unde *gloss. lib. 1. Landrecht*
in art. 3. Schwäger schaffe vnd Gevatterschaffe hindern am eh-
lichen Leben / fördern aber nicht zum Erbe. Rejicimus quoque
ex incestuoso coitu natos, eorum enim ratio in successione
nulla habetur. Ex damnato coitu progenitos, puta per quem
adulterium vel stuprum committitur, similiter linquimus,
tantum enim abest ut tales succedant, ut nec de jure civili
alendi à parentibus sint *auth. Ex complexu C. de incest. nupt.*